

77  
Q. F. F. S.

SPECIMEN PHILOSOPHICUM,

Quod,

*Permissu Amplissimi Collegii Philosophici in Regia ac incl.  
ta ad Auram Academia,*

De

**INSUFFICIENTIA  
DEMONSTRATIO-  
NIS EXISTENTIÆ  
DEI A PRIORI,**

Sub PRÆSIDIO

**HENRICI HASSEL,**

Eloquent. Prof. Reg. & Ord.

h. t. RECT. MAGNIF.

*Publico examini modesto submittere conatur*

**JOHANNES LAHIANDER.**

*Borca Fennæ.*

Die XXVII. Octobr. Anni MDCCCCLV.

Loco Horisque consuetis.

---

ABOÆ, Excud. Joh. Kämppe R. A. Typ.

Seiner Königl. Majest  
Hochbetrautem Manne und Obristen des Aboländi-  
schen Infanterie Regiments,

Dem Hochwob/gebörnen Herrn,

Herrn ERNEST GUST.  
WILLEBRAND,

Meinem Gnädigen Gönner.

**E**s sind schon ein'ge Jahr verfloßen  
MEIN GÖNNER, da von DEINE huld  
Ich gnad und gutes hab genossen.

Nun steh' Ich tief in DEINE schuld;  
Doch laß' mein danckbares gemüthe  
Ein opfer sein für DEINE güte.

Nimm mein Mecenas gnädig an  
Den erstling arbeitsamer jugend!

Ich gebe vvas ich geben kan.

Vielleicht ist dies auch eine tugend?

Die danckbarkeit ist jederzeit

Der schatten von vwohlthätigkeit.

Gott segne DEINE graue hare,

Du Edler Man, Du Martis Sohn!

GOTT jahre jahre zu die jahre!

Der segen spricht: Ich bin dein lohn.

DEIN Wille brennt noch für uns Finnen.

Gott laß' DIR alles vwohlgelingen!!!

Ew. Gnaden

Demüthigster Diener

JOH. LAHIANDER,

*Generosissimo Domino*

**D<sup>N</sup>. MARTINO  
SEGERCRANTZ.**

Regiæ, quæ in Tavastia est, Legion. Equestr. Chir-  
liarchæ locum tenenti inclyto, ac maxime strenuo,

*Patrono Benignissimo.*

**Q**uemadmodum favorem, Tuum, Patrone,  
omnino singularem sumus experti, eo præ-  
sertim tempore, quo in domo TUA Nobilissima  
nobis versari licuit; ita, quum animi pietatem,  
qua una grati esse possumus, declarandi alia non  
detur occasio, opusculum hoc philosophicum TI-  
BI sacræ facimus, quod ea exipias benevolenti-  
tia, qua nos antea dignatus es, omni studio  
contendimus; qui pro perenni TUA incolimitate  
ac flore calidissima funderè vota non erimus in-  
termissuri.

*Generosissimi Nominis Tui.*

*Cultor perpetuus*

**JOH. LAHIANDER.**

*Viro admodum Reverendo atque Praclarissimo*

**Dn. Mag. LAUR. SACKLINIO,**

Ecclesiarum in Wirmo, & Mietois Antistiti longe meritissimo, & adjacentis districtus Praeposito dignissimo, Patrono & Promotori propensissimo, exoptatissimo, quovis observantiae cultu ad cineres usque devenerando.

*Viro Spectatissimo atque Consultissimo*

**Dn. ERICO JOHNNI TOLPO,**

Consuli Urbis Aboe, curam justitiae administrandae gerenti, Gravissimo ac Aequissimo Avunculo & Evergetae optimo.

**V**obis. Patroni. Et. Evergeta. Optimi. Propem-  
Domum. Beneficia. Et. Spem. Ulterioris. Benee  
Devota. Mente. Et. Mano. Sacrum. Esse Jubeo.  
Usque. Aetatem. Securi. Ab. Omni. Calamitate.  
am. De. Quo. Perpetim. In.

N. N.

*Cultor Ob.*

**JOHANNES**

*Viro Plurimum Reverendo atque Præclarissimo*

**Dn. NICOLAO TOLPO,**

Pastori ac Præposito Ecclesiarum, quæ DEO, in  
Cume & Harjavalda colliguntur, vigilantissimo,  
& adcuratissimo, avunculi loco ætatem  
colendo.

*Spectatissimo atque Consultissimo Viro*

**Dn. ESAIÆ WECHTER,**

Urbis Aboæ, ad Curiam, Senatori æqvissimo,  
& Dignissimo, Avunculi loco perpetua  
suspiciendo.

*fissimi. Ob. Innumera. In. Me. Et. Paternam.  
volentia. Hoc. Levidense. Ingenii. Monumentum.  
Voveoque! Succedant. Dies. Vestri. In. Seram.  
Et. Cumulati. Omnigena. Felicitate. Quo. Habe.  
Sint. Mibi. Gratulari. Queam.*

V. V.

*servantissimus.*

**LAIHIANDER.**

Viro plurimum Reverendo atque Clarissimo

Dn HENRICO LAIHIANDRO,  
Antistiti Ecclesiae Sækylænsium meritissimo,  
Parenti Exoptatissimo.

Quantum Tibi Parens Carissime, debeam, licet maxime velim, explicare tamen haud valeo. Bis me genuisti, & posterius beneficium, longe superat prius. Neque enim succrescenti, cum aetate meo proficiendi desisterio, Tuum unquam defuit auxilium, saltem in quantum, fors illa, omnibus mortalium similiter non indulgens, permisit. Imo saepius Tuis aliquid necessitatibus detraxisti, ut esset, quod suppeteret nostra. Respiciat igitur DEUS O. M. ad vere Paternam Tuam erga me Animum, & quae demereri non possum, largiter compenset beneficia! Servet canos Tuos, quotidie magis magisque albicantes, servet inquam, Te in tranquillo otio, & quam diutissime ab omni calamitate & mœrore immunem praestet! Sic optat, sic ardentissimo pectore vovet,

Patris Optimi.

Filius Obedientissimus  
JOH. LAIHANDER.

**P**lusieurs étant nés dans le sein de la fortune, ne croient pas avoir besoin de se cultiver, & par là se racheter de la condition des Bêtes. La Gloire de leurs ancêtres ou leurs grands biens leur tiennent lieu de tout; neantmoins ils se sentent habiles, polis & scavans. L'homme raisonnable au contraire se perfectionne de jour en jour, & moins que sa Fortune lui en fournit les moyens, plus il cherche de parvenir à la perfection.

C'est bien vous mon cher Ami, qui, par la scavante Dissertation que vous mettez au jour, faites voir, que malgré toutes les difficultés qui se sont présentées pour faire échouer V'ôtre noble dessein, vous vous estes acquis la reputation de scavant, & qu' enfin vous bravez des

ja la mauvaise Fortune què vous ait persecuté.  
Cette victoire vous est toute glorieuse, & comme  
me vous achevez ce que vous avez si bien com-  
mencé, j'aurois le plaisir, avant qui soit peu, de  
voir vôtre industriè recompensé par le Laurier  
Je vous en felicite du fond du Coeur & suis


**Monsieur mon cher Ami**

*Votre tres humble serviteur*

**J. PIPPING**

**M, D' armes,**





§. I.

**Q**uando propositionem aliquam, ex præmissis certis atque indubiis legitime ratiocinando elicimus, illam demonstramus. Ex ipsa itaque hac genesi demonstrationis statim patet, nos per illam indigitare, ejusmodi probationis speciem, in qua quis, per legitima ratiocinia dilucide ostendit asserta sua descendere ex præmissis, quarum veritas indubia est. Sic Aristoteles voci huic eandem fere tribuit notionem, dum in Lib. I. c. 2. §. I. *Annalyt.* post: ἀπόδειξις λέγεται συλλογισμὸν ἐπιτημοσικόν. Certitudo igitur præmissarum in causa est certitudinis conclusionum. Unde præmissæ illæ certæ principia demonstrandi audiunt, quæ adeo clara atque evidentiā esse debent, ut qui ad ea attendit & in illorum contemplatione de-

inetur, de veritate eorum ambigere nequeat. Duo proinde palmaria sunt requisita demonstrationis: Illud ut adsint principia vera & genuina, quod dicitur materiale. Illud ut adsit legitima connexio conclusionum cum suis principiis, & formale nuncupatur. Criterium autem demonstrationis sufficientis est convictio, i. quod extorqueat quasi assensum, propositioni demonstratae præbendum, reddatque nos liberos a formidine oppositi. Neque tamen ideo insufficientis erit censenda demonstratio, quod omnium capiti non fuerit accomodata, vel quod omnes per illam non possint convinci, siquidem si deum vim ejus percipiunt, & ad veritatis agnitionem compelluntur, qui singularum præmissarum, ratiocinationes in illa connexas ingredientium, veritatem perspiciunt, formam demonstrationis animo comprehendam tenent, & denique præsentem, quæ ipsis obvertatur, tanquam particularem, generali convenientem esse agnoscunt. Pluribus hic de variis demonstrationem condendi institutionibus diversisque modis in illa adhibendis nostrum non est agere. \*

Suffi.

\* Cfr. Rudigerum de sensu veri & falsi Lib. 4. c. 4. §.

Sufficiat, pro ratione instituti, ea solum indi-  
casse, ex quibus ejus sufficientia erit mendianda.

§. II.

**S**i ea, quæ sensus, tam interni quam exter-  
ni nobis de re quacunque repræsentant,  
sedulo observamus, & observata simul, quo vi-  
tium evitetur subreptionis, rite examinamus  
secundum regulas, quæ vel ex ipsa ratione in-  
motuere, vel usu & exercitatione invalere, vel  
etiam artis ex utroque enatæ beneficio sunt  
præscriptæ, rei istius mascula atque indubia in-  
de exurgit experientia. Quæcunque autem ve-  
ritates, vel reflectendo super iis quæ percipiun-  
tur, vel secernendo accidentalibus rei ab essen-  
tialibus & abstrahendo ab iis quæ pluribus com-  
munia sunt, vel etiam determinationes variabi-  
les in l ias mutando, ab hac ipsa eruantur,  
vel etiam ad illam reducuntur, prouti in me-  
thodo analytica fieri solet, illæ dicuntur a  
posteriori demonstratæ. Definimus itaque de-  
monstrationem a posteriori, per deductionem  
propositionis cujusdam ab ipsa experientia.

A 2

§. III.

3. Thomasium in der einleitung der vernunft lehre. c.  
7. p. 46. seq. Christ: Wolffium in Log. Lat. M. aliosque.

**D**ifferre ab hac demonstratio a priori, non quidem hoc modo, quod in ea contextenda ratio humana ope & ministerio sensuum omnino destituatur; sine sensu quippe interno demonstratio ne intelligi quidem potest & externi, eorumque imitatrix imaginatio plerumque multum ad eam conferunt: sed quod a priori veritates investigantur quarum ratio certitudinis a sensibus neque externis neque internis repeti potest. Idealis heic evidentia locum obtinet fundamenti; & omnis quæ acquiritur certitudo, ex clara solum & distincta dependet perceptione, s. quod perinde est ex definitionibus & axiomatibus. Attentio igitur ad ipsam veritatum naturam & mutuum, quo junguntur nexum, utramque heic facit paginam. Soler etiam Demonstratio a priori a nonnullis dici, probatio effectus ex sua causa \*. sed adoptata a nobis illa vocis notione, inane esset præiens propositum; siquidem nemo unquam adeo erat absonus, ut existentiam Entis incausati ab aliqua causa anteriori, tanquam effectum, vellet evictum ire.

§. IV.

\* V. Joh. Georg. Walchium in *Lex phisic. v. Demonstr.*

**E**Xposita sic indole & differentia demonstra-  
 tionis tam a priori quam a posteriori, in  
 eo jam versemur, ut certos utriusque designemus  
 limites & breviter monstremus, quæ veritates  
 hujus, quæque illius sine objectum. Miramur heic  
 eorum dissidia, quorum alii omni certitudi-  
 nuntium remittere volunt, quæ ex perceptionibus  
 sensualibus non est enata, existimantes rationem  
 ad omnem præterea caligare veritatem; alii rursus  
 jactitant rationem solam ad quamlibet verita-  
 tem indagandam sufficere, omnesque ideo obser-  
 vationes heic exulare; ministerio sensuum, quod ubi-  
 que fallax esse dicunt, penitus proscripto. Pri-  
 orem sententiam examinabimus in §. sequenti  
 quod posteriorem attinet statuimus dari omnino  
 veritates quæ a posteriori nequaquam sunt dete-  
 ctæ neque detegi potuerunt, licet postmodum  
 ubi res ad praxim devenerit, per experientiam quoque  
 haud raro constet verum esse, quod prius de-  
 monstratum fuerat. Sic frustra velles a poste-  
 riori deducere genesin veritatum illarum, quas  
 longa admodum serie sibi invicem subordinatas

cx

p. 403 Christoph. Andr. Butnerum in *Curs. philos.*  
*Tom. 1. p. 90.* Jo. Andr. Schmidium in *Log. Posit*  
*part. post. Sect. 3. §. 10. seq.*

exhibent mathematici. Indicant hoc perplurimæ computationes Algebraicæ ut & geometria sectionum conicarum, quas proinde exempli loco nominasse iuvabit. Constat autem per tot secula omnes, quotquot ad veritatem theorematum geometricorum intelligendam animum appulerunt, ejus quoque fuisse convictos; & quantumcunque in aliis veritatibus existat dissensus, nullus tamen circa theoremata Archimedis, Euclidis, Apollonii, Theodofii, Menelai observari potest, & quod magis est, ne quidem inter eos, qui in aliis, diversis admodum delectantur placitis. Præterea res actu existentes solæ non sunt scientiæ humanæ objectum; sed datur etiam cognitio possibilium demonstrabilis. Umbra autem pro corpore captaret & figmenta effutiret, qui diceret se rei cujusdam possibilis tantum & nondum existentis experientiam habere.

## §. V.

**D**E rebus autem vere existentibus, quicquid scientiæ possidet genus humanum, id ab experientia utique tanquam prima scaturigine promanavit. Singulas lustrando philosophiæ partes

res hoc probari posset. Sic omnem illam cognitionem, quam de mente nostra, ejus natura, perfectionibus, operationibus variisque operandi modis, continet Psychologia vel rationalis vel empirica, observationi debemus eorum, quæ ipsa in semet conversa, intra proprium sinum peragi animadvertit. Quis enim quæso exploratas nobis redderet vires intellectus, quas exserit, dum vel ideas simplices format, vel etiam plures in relatione ad se invicem considerat & deprehensa inter illas convenientia combinat; repugnantes vero separat, nisi mens per intimam quandam tensionem has ipsas detegeret. Eadem ratione innouit modus, quo veritatem unam ex altera derivare solemus. Neque de virtutibus & vitiis voluntatis aliunde edocemur. Hinc palam est, cur omnis ævi philosophi, utrum summa cum aviditate atque industria quæsierint ipsam animi essentiam ejusque cum corpore organico unionis modum detegere allaborarint, tamen ex pristina sua inertia emergere non valuerint. Nec speramus illos in posterum ulterius fore deventuros. Deficiente enim in hisce rebus experientia, nostra

8  
stra ultra illam sciendi cupido vel subsistat pro-  
sus necesse est, vel saltem hypothesibus erit  
contenta. Ad Physicam jam s. scientiam mun-  
di corporei faciamus transitum, ex eodem il-  
lam fonte scaturire adferentes. Tanto au-  
tem brevioribus nobis in hoc negotio  
esse licebit, quanto res est magis perspicua.  
Præsupponimus itaque heic, tanquam veritatem  
vel omnibus manifestam ideoque nobis facile  
concessam, vel etiam in metaphysica demonstra-  
tam, quod scilicet omnia corpora systematis  
mundani tam totalia, quam partialia, minora  
& majora sint finita, nec a se existentia, quæ-  
que adeo dependeant a causa libera ut possint  
esse & non esse, esse hoc vel alio quocunque  
modo fabricata ac disposita, ut tamen harmo-  
niam inter se & cum toto universo non everte-  
rent. Eandem proinde considerationem subibunt  
ac res aliæ, quæ a libere agentibus varie pos-  
sunt proficisci. Neminem autem tam ridicu-  
lum fore facile credimus, ut de hujuscemodi  
entibus sibi promitteret scientiam, antequam  
experiatum num & quomodo sint. Qui plu-  
ra de iis affirmant quam per observatio-  
nem



nem innotuerant, hi majorem non merentur fidem, quam de regionibus prorsus incognitis & inaccessis, vel etiam incolis planetarum eorumque qualitatibus sermocinaturus. Factum hinc est, ut cum Philosophi recentioris ævi experimentis magis litare ceperint, quam antea, scientia naturalis non ab hypothesebus solum per plurimos sit liberata, sed incrementa quoque cepit maxima. Sic Medicinam alius evexit ad accuratior illa cognitio partium earumque structuræ in corpore humano, quam aperuit Anatomia. Anatomiam autem promovit microscopiorum usus. Astronomiam extulit ars poliendi vitra, tubis per illam inventis. In triplici regno naturæ, animali sc. minerali & vegetabili pertinax in observando industria id effecit, ut nunc ex iis multa habeamus, quibus & necessitati & delectationi nostræ subvenire possimus. Sed ut dicenda breviter perstringamus, ex hisce patet esse putamus, nos tam animæ, quam corporum, hoc est omnium in mundo existentium scientiam ab experientia hausisse. Horum autem causa prima Deus, cum etiam sit existens & quidem necessario atq; ab æterno, dispiciendum nunc restat,

num & ejus cognitio dependeat ab experientia.

§. VI.

**Q**uemadmodum autem jam adstructum ivimus, rerum existentium cognitionem non nisi ab experientia hauriendam esse; ita inde evidens est, notitiam DEI, per se existentis & eorum, quæ existunt, omnium auctoris, ab eadem veri scaturigine derivari debere. Ubi enim, quæ unquam nobis obveniunt contingentia atque finita esse advertimus, quod existat Ens aliquod necessarium & infinitum inde colligere proum est. Finita namque & contingentia, sine præsupposito infinito & necessario ne cogitari quidem possunt. Quotquot proinde in mente nostra sentimus facultates & operationes, quot in corpore membra habemus ac motus, quot denique in magno atque stupendo totius universi theatro res contemplamur, tot certe adsunt divinitatis testimonia. Quid de artificiosissima mundi structura, & admiranda omnium in eo coordinatione, quam etiam in minutissimis vel acutissimi quique mortalium merito stupent, erit sentiendum; Quid de proluxa illa successionum se-  
re

rie, finiumque tali inter se subordinatione, ut omnes ad totius universi perfectionem conspirent? annon horum omnium attentæ & seriæ consideratio, vel invitos compellat ad agnoscendum DEUM, ejusque infinitam potentiam, sapientiam & bonitatem? Hæc vero cognitio, quamvis immediate experimentalis esse nequeat, ab experientia tamen aliarum rerum deducitur. Unde sua sponte fluit, eo nos magis in notitia Conditoris optimi Maximi proficere, quo diligentius in scrutinio & disquisitione naturæ defudamus, quoque profundius in illam introspicere valeamus. Tumida autem eorum ingenia, qui imbecillitatis suæ congenitæ immemores, vel ultra vel contra ea infinitæ potentæ indicia, quæ in rebus creatis comparent, naturali acumine sapere discipiunt, eo facilius in transversum abripiuntur, quo magis a genuina veri in his investigandi ratione aberrant \*. Tales omnino sunt Scholastici \*\*, eorumque in-

B 2

ter

\* V. hæc de re plura apud Bernh. Niewentyt in Lib. Erkenntniß der weisheit/ macht und gûte des göttlichen wesens/ auß dem rechten gebrauch der betrachtungen aller dinge dieser welt p. 4. 5. seq.

\*\* In primis Anselmus Cantuar. re. fis & Thomistæ sequentes

ter nos leſatores, qui exiſtentiam & attributa DEI atque operationes a priori demonſtrare conati ſunt. Horum nunc argutationes pro inſtituti ratione breviter examinabimus.

§. VII.

**R**ENATOS Carteſius cum ſuis aſſectis \* geminum ab idea DEI, quam ſibi innatam eſſe credidit, pro demonſtranda ejus exiſtentia petit argumentum. Unum a poſteriori, a priori alterum. Illud rimari hujus non eſt loci. Hoc autem ſ. argumentum a priori huc ferè redit: Quidquid ad ideam rei alicujus pertinere clare & diſtincte percipio, id utique ad rem iſtam revera pertinet. Atque clare ac diſtincte percipio, ad ideam Entis perfectiſſimi ſive DEI pertinere exiſtentiam. Ergo.

Chri-

*Thomam de Aquino, uti refert Henr. Nicol. in Lib. de Not. DEI Nat. p. m. 24. ſ.*

\* *Carteſ. in part. I- princip. philoſ. §. §. 13. 17. ſ. & in Medit. ſuis de philoſoph. prima Medit. 3. aliisque ſcriptis, quibus adverſariorum ſuorum obiectiões diluere fruſtra tentavit. Anton. Le Grand præcipuus & maxime ſtrenuus erat ejus deſenſor hac in parte. Vid. ejus Inſtitutiones philoſ. ſecundum principia Carteſii, p. 2. c. 2. & 3 §. §. 112-126. & Apologiam Carteſii contra Parekerum Cap. 13. p. 154. c. 14. p. 166. c. 15. p. 178.*

Christianus autem Wolffius, in hoc argumēto id solum desiderat, quod possibilitas Entis perfectissimi a Cartesio non fuerit demonstrata; quem defectum supplere allaborat in toto fere Cap. I. Theol. Nat. part. II. ubi illam ex magna quadam definitionum congerie deducere conatur. Summa autem prolixè dictorum hæc est: Realitas est quod aliquid ponit. Realitas absoluta ergo erit positivum, quod omnem excludit defectum s. negationem. Ens autem perfectissimum, cum omnes possideat realitates absolutas, nihil in se continet, quod negationem involvat. Ergo nec contradictionem, ad quam necessario requiritur negatio. Ergo Ens perfectissimum est possibile. Adstructa sic possibilitate, existimat se certo ad existentiam quoque concludere, eadem prorsus ratione ac ipse Cartesius, nisi in eo discrepantiam quæras, quod hic existentiam nomine perfectionis, ille autem realitatis insignire voluerit. Adstipulatur Wolfio hac in re Mr. Gottlob. Cantzius, id omnitudinem virium nuncupando, quod heic realitas absoluta audit. Cfr. ejus Discipl. Moral. Theol. Nat. Disc. I, part. I. c. I. p. 151. §. 405. & seq.

Ve.

Verum hæc omnia accuratius considerata resolvuntur in hanc propositionem: Ens perfectissimum necessario existit, si existit. Quod vero existit id aliis rationibus est demonstrandum. Neque a possibilitate ad existentiam concludere licet. Expoliant itaque demonstrationem tuam a priori, quomodocunque velint, substernant illi quotquot placuerit subtilitates metaphysicas, nihil tamen efficiunt, nisi in subsidium vocetur experientia. Et quando per illam constat, Ens perfectissimum existere, deinde, an sit possibile quærere frustraneum est. Existentia quippe præsupponit possibilitatem. Inutile præterea judicamus, hanc maximi momenti notitiam investigare difficiliori via, ubi facilem admodum nobis præfecit provida summi Numinis benevolentia.

## §. VIII.

*De cetero remittimus B. L. ad Petr. Dan. Huetium in cens. philof. cartes. c. 4. p. 58. f. Petr. von Maffricht in gangrena Novit, Cartesian. sect. post. c. 14, p. 158. Petr. Poiret in methodo inveniendi verum. part. 3. p. 96. §. 7. f. Leydecker in face verit. Loc. 3. controvers. 1. 2. p. 89 Joh. Franc. Buddeum im Lehrsätze von der atheisterey/ und dem aberglauben/ Theol. Dogm. Lib. 2. c. 1. §. 3. p. 104.*

## §. VIII.

**Q**Uæ jam adduximus de insufficientia metho-  
 di a priori ad existentiam DEI demon-  
 strandam, ea sic accipienda non sunt, ac si  
 hæc nostra esset sententia, quando id agitur ne-  
 gotium, veritatum a priori nullum omnino  
 dari usum. Res enim ipsa contrarium adstruit.  
 Nam experientia hic subministrat propositiones  
 minores; sed majores præbet veritas a priori.  
 E. g. Singula, quæ nobis in mundo obveniunt  
 esse finita docet experientia. Verum quod  
 nullum finitum possit esse a se, sive quod eo-  
 dem recidit esse simul finitum & infinitum, id  
 a priori constat. Et sic porro. Tota autem  
 demonstratio recte judicatur esse a posteriori,  
 quum basis ejus ac fundamentum sit experientia.  
 Neque id in aliis scientiis est inuictum. Phy-  
 sica dicitur experimentalis, quæ observationes  
 & experimenta fundamentum agnoscit: eidem  
 nihilominus ita subservit Mathesis abstracta, quam  
 ut dictum est §. §. constituunt veritates a prio-  
 ri inventæ, ut earum adminiculo carere omni-  
 no nequeat. Adde, quod Physica hoc modo  
 comparata, sit fons ac scaturigo Theognosæ  
 naturalis.

**Q**uamvis autem existentiam DEI a priori non demonstrari contendamus; non tamen ideo notitiam insitam negasse centendi sumus, quin potius eam solidiori superstruimus fundamento. Venit autem nobis insita nomine, illa de DEO cognitio, quam mens nostra ex sui ipsius conscientia, suorumque attributorum & actionum consideratione, adhibitis juxta in subsidium, quæ a priori sunt, veritatibus, deducit. Deprehendit enim per experientiam successivas cogitationes, variasque alias limitationes, quæ finitudinem suam nimis quantum evincunt. Ubi autem finitam se esse intelligit, simul etiam rationem existentie suæ in Ente alio, a se diverso ac infinito contineri, agnoscere necessum habet, nisi manifestam incurrere velit contradictionem, & rei finite infinitas tribuere proprietates. §. 6. Paret inde, omnem hanc notitiam insitam citra discursus mentis acquiri non posse; quamobrem falluntur, nec a vitio subreptionis immunens sunt, qui facultatem immediate ad illam pervenicendi sibi vindicatum eunt.

S. D. G.

✠ ( 0 ) ✠